Const. Huygens aan Cl. Salmasius.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissᵉ Vir:

Postquam hic debellatum est non infeliciter, ad Musas paulatim me converto, ampliore nunc otio, silentio et securitate. Inprimis te de Coma uberrimè, doctissimè ac prudentissimè disserentem avidè arripui: et auspicatus modò lectionem illam propero laudem tibi dicere et summas gratias; ne, ad calcem ubi ventum erit, obruto utrinsque argumenti pondere stupor ipse silentium imperet. Nimirum, nihil esse quod te fugiat eorum quae plerosque latent, magis magisque palam facis, cuicumque te rei vel levissimae impendas vel summè gravi. nam in parvis quis expectet quae tu promis, in maximis quis assequatur quò ascendis? Ecce ad veritatem Epigrammatis redimus, quod retorquere tibi nuper placuit tanto lepore. Perge tu verò, summe Vir, implere saeculum sublimioris momenti eruditissimis commentarijs, quae aut affecta nunc, aut parata habes; et à quibus qui te his talibus nimis avocarent equidem de re publica parum bene mereri statuerem. Vale nostrum decus.

Assened. in Castris
IX Cal. Octob. MDCXLIV.

Planè tuus

C. Huijgens

[Naar het oorspr. in codex Vindobon. 10093 N° 117]

BPL. 885.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 885
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3773

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 885
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3773